



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **Parallela Geographiae Veteris Et Novae**

**Briet, Philippe**

**Parisiis, 1649**

§. 2. Quantitas.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-13167**

## LIBER SEXTVS.

*De Imperio Moschouitico.*

## CAPVT I.

*Historica Moschouia descriptio.*§. I. *Nomen.*

Æc vastissima Regio dicitur RVSSIA ALBA & MOSCHOVIA. Et *Russia* quidem à Russis populis, seu Ruthenis, seu Roxolanis, de quibus egimus in origine Polonorum, & in Sarmatiâ: *Alba* autem vocata est non propter niues, vt quidam crediderūt, sed à Galeris Albis quibus vtuntur, vt Zagathæi *virides* dicuntur à viridi Tulipano. Moschouiam verò quidam à Modicis antiquis Sarmatiæ populis desectunt, perperam, fatiùs est ad antiquos Moschos recurrere, quos circa Phasidis fontes collocat Mela, aut ad Moschicam Regionem Strabonis inter Colchidem, Iberiam & Armeniam. Indigenæ se nomen habere putant à Fluuio *Mosqui* Moskuam urbem alluente.

§. 2. *Quantitas.*

Longitudo Geographica minor est quàm *latitudo*; hæc autem sic sumpta desumitur ab oppido *Lubuc*, in Palatinatu Kiouix, ad Carabycis ostium vulgò *Oby*. Quæ distantia ad maiorem circulum reuocata dat 28. gradus cum dimidio, ac proinde milliaria 1681. leucas nostras  $840\frac{1}{2}$ , Germanicas  $420\frac{1}{4}$ , Moschouitica *Vorest*, seu *Virst* 2280.

*Longitudo* verò Geographica consideratur ab Occidentali parte Ducatus Plescouensis, ad arcem seu castrum *Voloch* ad Tingoëfos, quæ amplitudo reducta ad circulum maximum dat 25. gradus cum  $\frac{1}{2}$ , igitur milliaria 1501. leucas Francicas  $750\frac{1}{2}$ , Germanicas  $375\frac{1}{4}$ , Russica *Vorest* 2040.

Ff ij